



## AD LECTOREM.

AVCIS te, Lector, admonebo. Primum enim, cùm huius operis summas quasque difficultates aggredi duntaxat instituisse, aliorum consilio sententiam mutare coactus sum, quod dicerebant, hactenus recentiorum neminem totum illud argumentum accuratè satis pertractasse. Deinde, iam mutato proposito, cùm meminisse, quas difficultates olim paterer, dum nouas colonias statuo; ubi neque librorum copia suppeteret, neque opes ullæ, quibus comparari possent; et tamen perpetuò ius doctrinae subsidiū utendum esset, qua non aliunde peti solent quam è fabrica Scripturarum: statui paulò liberius, in gratiam eorum, qui paribus incommodis conflictantur, ingenio vti. Interpretum tamen inopia, in secusso meo Vicennensi negotij mihi plus satis exhibuit. Sed cùm, incepto iam opere, in Vermili Commentarios incidisse, damnata memoria viri, non semel eo usus sum; sicut pañim nominis eius appellatio testatur: quoniam multa ex his, quæ scriptis mandauit: anè elaborasse visus est, quam fidei nuntium remitteret. Sunt enim pleraque ex his è Scholasticorum armario deprompta: quæ deinceps, postquam Ecclesiam malis artibus aggressus est, veneno studuit inficere; sed nos errori antidotum continuò paramus: sincera atque integra, pari fide seruamus.

De Potestate vero atque Iurisdictione Ecclesiastica; Item de Iure Regis, & Fisci; De Legibus; de Clementia Principis; De præficiendis Magistratibus; De fide Electionum; & venditione Praefecturarum Iudicialium; De tributis & vectigalibus; De autoritate publicorum Comitiorum; denique de Modo Gratia efficacis, & plerisque aliis, quæ pañim in hoc opere tractantur, quæ visa sunt mihi probabiliora, constanter asserti; ea tamen lege atque omni, ut si quis melius sentiret, eidem liberum esset à me dissentire. Nam praterquam in his, quæ certa fide teneda sunt, vim cuiusquam opinioni,